

FRANCISCI TVR-
RIANI DOGMATICVS DE
IVSTIFICATIONE
AD
GERMANOS ADVERSVS LVTERANOS
EIVSDEM

*Dogmaticus de Electione diuina ad illustriss. & Reuerendiss.
D. Othonem Truchsen. Cardinalem
Augustanum.*



ROMÆ, apud Antonium Bladum Impressorem Cameralem
M D LVII.

D. Leon.

FRANCISCI TURRIANI

DOGMA TICVS DE IVSTIFICATIONE

AD GERMANOS ADVERSVS LUTERANOS.



TAMETSI mihi Germani cōscius sim, infra eos esse, qui de dogmate Iustificationis erudite, pieq; aduersus Luteranos hactenus scripserunt, qui plurimi sunt, tamen quia neminem oportet ingenii, studii, & scientiæ suæ negligere facultates, quin potius discere diligenter, quæ cum aliis benigne communicet, neque defatigari studio inueniendi, & illustrandi veritatem, & iis siue sermone, siue scripto opitulari, qui ea per se assequi nō possunt, contuli me non quidem ad scribendum aliquid nouum, sed ad ea, quæ obscure, & concise à magnis viris scripta erant, limatius, & subtilius explicandum. Hæc enim sunt, quæ magnum quoq; Dyonisium, quem libentissime sequor, ad scribendum de diuinis nominibus, post diuinū Hierotheum, eundemq; magistrum suum, vt idem testatur, permouerunt. Etenim si capita quædam, & loca valde illa quidem necessaria, & magni ad hanc causam ponderis, quæ leuiter attigerunt, copiosius explanassent, nunquam eo dementia, & stultitię processissem, vt aut me existinarem acutius, & diuinius videre, aut eadem repetendo actum agerem, vt hoc illis obiter respondeamus, qui fortasse nos mirabuntur, quòd cum multi, iidemq; perfecti auctores de hoc ante nos optime scripserint, tanquam illi non satisfecerint, ipsi rursus de eodem scribamus. Accessit præterea alia scribendi ratio propria, quòd cum mihi hoc tempore vsus multus esset cū Theobaldo Thamerio Germano optimo, ac valde docto viro, & in quæstionibus Luteranorū multum, diuq; exercitato, & trito, incideretq; sæpe nobis sermo, & disputatio de istorū præcipuo dogmate iustificationis, quod ille scite Phantasma appellare solebat, vt quod ei quoque aliquando inani specie veritatis illusisset, cum ego illum, & ille me vicillim differentem audiret, rogabat & sæpe, & vehementer, vt ipse quoq; de ea re scriberem, quod cum facere coepissem, ostendissemq; ei, tum magis ac magis vt perficerē, instare, & vrgeri affirmans interim tū vos, tū Luteranos quorū ingenia, & studia

FRANCISCI TURRIANI
DOGMATICVS DE ELECTIONE
DIVINA

AD OTHONEM TRUCHSEN. CARD.

AUGVSTANVM.

*



SCRIPSERAM Ocho, Card Ampliss. de Iu-
stificatione, tamen si nōdum publicaram, cū mi-
hi in mentem venit, vt etiam de Electione diui-
na, & eius causis aliquid scriberem. Quod elec-
tionem non ex fide tantum, sed ex operibus
qui fieri confiteatur, idem nos, non ex fide tm̄,
sed ex operibus iustificari confiteatur, necesse
est. Vnde enim quis ad gratiam adoptionis filiorū Dei, & iustitiæ, ac
sanctificationis electus est, inde ad gratiam istam vocatus est. Et vnde
de vocatus, inde iustificatus. Sic autem scribam, vt subtili, & spinoso
disputandi genere remoto, quo tota hæc hæctenus questio nō me-
diocriter obscurari solebat, ad liquidos illa quidē scripturæ sanctæ
fontes reuocetur. Qui locus non tantum Luteranis necessarius est,
sed etiam plerisq; nostrum vtilis. Neq; enim qui nos ex fide tantum
iustificari tradunt, sed multi quoq; eorum, qui non ex fide tantum,
sed ex operibus, causam omnem electionis diuinæ sustulerunt. Tas-
meti vtriq; si consentanea disciplinæ suæ dicere voluissent, debe-
bant illi quidem ex fide ista sua *ϕιλα* causam electionis ducere, no-
stri vero ex fide, & operibus. Rursus enim ex eo iustificatur aliquis,
vnde vocatus est ad iustitiam, & ex eo vocatus, vnde priusq; esset,
electus est, vt vocaretur, & inde electus, vnde præcognitus. Huius
vero quæstionis explicatio, quàm difficilis à nostris diu habita sit,
testes sunt tam multi de ea scripti libri. Rursus quàm olim facilis
haberetur, coniecturam ex silentio veterum auctorum facere licet.
Græci enim patres magno consensu ex nostris bonis operibus fu-
turis, tanquam Dei donis ex æternitate præcognitis, prædestinatos
nos esse tradiderunt. Quos quidem tanquam magistros, vt ceteros
taceam, secutus est ex veteribus sanctissimus, idemq; doctissimus
Ambrosius. Sed inter veteres Augustinus, summa item sanctitate,
multaq; doctrina, & æturgento auctori, plerisq; visus est à maio-

DE ELECTIONE

cera ab igne liquefit, & cōburet ignis aduersarios, & quæ sequunt̃.
 Huiusmodi ergo induratio, & impenitēs cor secundū electionem
 propriæ voluntatis, Deo alioqui multiplici misericordia, & susti-
 nentia vtente, causa est reprobationis & odii diuini. Illud autem, in
 hoc ipsum excitauit te, & quæ sequuntur, idem Eustathius interpre-
 tans, quæ (inquit) in scriptura inter se pugnare videntur, non ratio-
 nibus, sed exemplis soluenda sunt. Quare vt optimi (inquit) medici
 utilitati hominum studētēs damnatos ad mortem secant, vt aliquid
 vtile hominibus per damnatos inueniant, sic sapientissimus Deus
 per Pharaonem immedicabiliter peccantem magna signa ostendit
 illum quidem puniens, posteros vero curans, & supplicium illius in
 salutis materiam vertens. hactenus Eustathius. Nos vero Otho
 Cardinalis benignissime finem hic faciemus eorum, que de Electio-
 ne diuina, & eius causis, scripturas sanctas quanto studio, & dili-
 gentia potuimus sequentes, scripsimus. Si quid assecuti sumus,
 eius est. qui non dat ex mensura spiritum, vt in quo sint
 omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ absconditi, qui
 diuidit vnicuique pro vt vult, qui cum pater-
 tre, & spiritu veritatis est bene-
 dictus in sæcula.

Amen.

Sp
 hinc me
 dicit secant
 in gnam
 -dy